

Sardicum & Corsicum regnum inter plures heredes non dividenda.

Forma iuramenti Sedi Apost. per Reges praestandi.

Idem iuramentum singulari Pontificibus renovandum.

tificis & Romanae Ecclesiae, fieri vel ordinari contingeret. Ad haec tam Tu quam tui in Regno ipso haeredes, Regnum ipsum Sardiniae, & Corsicae nullatenus dividatis, sed semper illud unus tantum sub ipsis modo, & forma, tenore, conditionibus, & conventionibus, immediate, ac in capite a Nobis, ac successoribus nostris, & ab ipsa Romana tenebit Ecclesia.

§.6. Forma vero iuramenti fidelitatis, Vassallagii, ligii, & Homagii, quae tu in nostra praesentia facies, & praestabis pro Regno Sardiniae, & Corsicae praedicto, & quam praestari & fieri volumus, ac servari a tuis Haeredibus in eodem, verbis competenter mutandis, talis est.

§.7. Ego Jacobus, Dei & Apostolicae Sedis gratia Rex Sardiniae, & Corsicae, plenum vassallagium fidelitatem, & ligium homagium faciens, & iuramentum praestans pro dicto Regno Sardiniae, & Corsicae, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro & Domino meo Domino Bonifatio, Divina Providentia Papae Octavo, suisque Successoribus canonice intrantibus, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae: Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione: Consilium, quod mihi credituri sunt per se, aut per nuncios, sive per Literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam; & si scivero fieri, vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in ipsorum damnum, illud pro posse impediam; & si impedire non poterit, illud eis significare curabo: Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, tam in Regno praedicto, quam alibi existentia, adiutor eis ero ad retinendum defendendum & recuperandum, & recuperata manutendum contra omnem hominem: Universas & singulas condiciones, modos, seu formas, & tenores, contentos in literis concessionis dicti Regni Sardiniae, & Corsicae, ac omnia & singula, quae continentur in eisdem Literis, plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo; nec ullo unquam tempore veniam contra illa: sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia: Similia autem fidelitatem, Vassallagium plenum, & Homagium ligium, & iuramentum renovabis, facies, & praestabis unicuique Romano Pontifici, & dictae Ecclesiae infra annum a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum: Et similia praestabit, faciet, & similiter renovabit, & facere, praestare, & renovare tenebitur unusquisque haeredum tuorum in dicto Regno unicuique Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ipsi Romanae Ecclesiae secundum formam praescriptam, nomen Romani Pontificis, qui tunc erit, & suum proprium exprimendo: Sed postquam Tu, & haeredes tui in Regno Sardiniae, & Corsicae praedicto praestiteris, & feceris personaliter iuramentum, fidelitatem, homagium, seu Vassallagium, secundum praedictam formam uni Romano Pontifici, per vos ipsos alii Romano Pontifici non astringemini personaliter praestare & facere; dummodo illa praestetis & faciatis infra annum per

idoneum vel idoneos substitutos, ad hoc plenum mandatum habentes: & si plus placuerit Romano Pontifici vel Romanae Ecclesiae, iuramentum, fidelitatem, vassallagium, & homagium praedicta, praestabitis & faciatis Tu & haeredes tui nomine Summi Pontificis & Romanae Ecclesiae illi vel illis, quem vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex, vel sedes eadem, deputabit. Quandoquidem vero Tu, vel haeredes tui in Regno praedicto praedicta iuramentum, fidelitatem, vassallagium, & homagium praestabitis & faciatis per vos vel alium seu alios, ut superius continetur, dabitur infra mensem post Romano Pontifici, & eidem Ecclesiae Patentes Literas vestras, aurea Bulla bullatas, praedictos & infra scriptos modos, conventiones, conditiones, tenorem, & formam acceptantes expresse; & formam dictorum Homagii, & iuramenti fidelitatis, & vassallagii similiter & specialiter exprimentes. Sane omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus, quam aliis Regularibus & Saecularibus, nec non & omnibus Praelatis, & Clericis, ac universis Personis Ecclesiasticis saecularibus, & Religiosis, & quibuslibet Religiosis locis dicti Regni Sardiniae, & Corsicae libere dimittantur & conserventur integre omnia bona, & iura eorum. Omnes insuper Ecclesiae tam Cathedralis quam aliae Regulares, & Saeculares, nec non & omnes Praelati & Clerici, ac universae personae Ecclesiasticae Religiosae & Saeculares, ac quaecumque Religiosa loca cum omnibus Bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, sive in electione, vel post, regius assensus vel consilium aliquatenus requiratur; quam utique libertatem Tu, & tui in eodem Regno haeredes semper manutenebitis, & manuteneri & conservari facietis ab omnibus subditis vestris; dictaque Ecclesiae & personae utentur libere omnibus Bonis, & iuribus suis, salvo Tibi, & tuis in Regno ipso haeredibus iure patronatus in Ecclesiis in tantum, quantum in hoc Patronis Ecclesiarum canonice Instituta concedunt, in illis dumtaxat Ecclesiis, in quibus Tibi, tuisque haeredibus iure patronatus competere dignoscetur. Omnes etiam causa, ad forum Ecclesiasticum pertinentes, libere & absque ullo impedimento agitantur, tractantur, & ventilantur coram suis Ordinariis, & aliis Ecclesiasticis Iudicibus, & terminabuntur per eos: Et si ad sedem Apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem, pro appellationum prosecutionibus libere & absque inhibitione aliqua permittantur. Omnibus insuper Capitulis, Collegiis, Conventibus, & personis Ecclesiasticis, Religiosis & Saecularibus, ac Communitatibus, vel Universitatibus, & personis Saecularibus quorumcumque locorum dicti Regni; cuiuscumque conditionis, & status extiterint, quoties per Te, vel aliquem Haeredum tuorum tuos Officiales vel ministros, aut alicuius eorum sententiam se gravatos, ad Apostolicam Sedem liberum super hoc liceat habere recursum: nec

Libertas Ecclesiarum servanda.

Ecclesiasticorum causa ab Ordinariis cognoscenda.

Antiquae laudabiles servatae lineae.

Leges contra libertatem ecclesiasticam lae revocandae.

Aliae conditiones.

Nota tributa Ecclesiis non imponenda.

nec praestabitur eis obstaculum, quominus libere, & secure recurrant. Sacramenta vero fidelitatis, seu assecurationis praestabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout Canonice Instituta permittunt, ab illis Ecclesiis Praelatis, quorum Praedecessores illa antiquitus soliti sunt praestare.

§.8. Ab illis autem Praelatis & Ecclesiis, qui temporalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui huiusmodi bona teneant; a Domino dicti Regni, & aliis Dominis temporalibus, & qui ratione huiusmodi Bonorum ab antiquo consueverunt Regibus, vel aliis Dominis temporalibus, in dicto Regno Sardiniae, & Corsicae constitutis, servitia exhibere, huiusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut Instituta patiuntur Canonice, impendantur: Salva semper circa Ecclesias Cathedralis, & alias Regulares, & Saeculares, ac personas, & loca Ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscumque aliis, Romani Pontificis, & Ecclesiae Romanae iurisdictione, ac autoritate plenaria, & libera potestate.

§.9. Revocabis quoque omnes Constitutiones, seu leges, vel statuta, per Reges seu Principes saeculares Sardiniae, & Corsicae editas contra Ecclesiasticam libertatem; nec statuta vel Constitutiones aliquas Tu, vel aliquis haeredum tuorum in dicto Regno edetis, aut promulgabitis, per quae, seu quas iuri, & libertati Ecclesiasticae derogetur.

§.10. Promittes etiam, quod Tu, vel haeredum tuorum tempore nullus Clericus vel persona Ecclesiastica eiusdem Regni in Civili vel criminali causa convenietur coram Iudice Saeculari, nisi super Feudis Iudicio petitorio conveniatur civiliter, quatenus Canonice Iura permittunt: sed omnibus Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis conservetur libertas: nisi sit de illis personis, de quibus iura permittant.

§.11. Nullas insuper, Tu aut quisvis alius tuus in Regno Sardiniae, & Corsicae heres Tallias imponetis Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, & Viris Ecclesiasticis, vel rebus seu Vassallis eorum; & in Ecclesiis vacantibus Tu, vel tui in praedicto Regno haeredes nulla habebitis Regalia, nulloque fructus, redditus, & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla proventus alia percipietis ex eis; nihilominus custodia earundem Ecclesiarum, iurium, & bonorum ipsarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas iuxta Canonicas Sanctiones; salvo Tibi dictisque haeredibus iisque Tibi vel eis, tanquam Regi vel Domino temporali, competere ex praescriptione legitima, consuetudine antiqua & rationabili, privilegiis legitimis, aut aliis de iure quibus iura divina vel canonice non obstant.

§.12. Iudices vero, Comites, & Barones, Milites, & personae ceterae saeculares Regni eiusdem tam magna quam parva in suis bonis, iuribus, rationabilibus & laudabilibus consuetudinibus servabuntur: & tam Tu, quam tui in praedicto Regno haeredes per vos vel alium seu alios exercebitis regimen dicti Regni secundum

lura civilia, quibus Canonice instituta non obviat, & laudabiles consuetudines: salvis regiminibus Ecclesiarum, vel saecularium personarum competentibus eis de approbata & laudabili consuetudine, privilegiis legitimis, aut alias de iure.

§.13. Omnes captivos & obsides, praesertim Romanos, & alios de Terra Ecclesiae oriundos, si quos Tu, vel tui in dicto Regno Haeredes tempore, quo acquireris dictum Regnum Sardiniae, & Corsicae, invenietis in eo, ad mandatum Romani Pontificis seu Romanae Ecclesiae restituetis pristinae libertati; vel de eis facietis, quod dictus Romanus Pontifex, vel Romana Ecclesia ordinabunt.

§.14. Nullam etiam confederationem, seu pactiorem, vel Societatem cum aliquo Imperatore, vel Rege, seu Principe, vel Barone Christiano vel Graeco, aut Saraceno, vel cum aliqua Provincia, seu Civitate, vel Communitate, aut loco aliquo seu personis, scienter contra Romanam Ecclesiam Tu, vel tui in eodem Regno Haeredes amici & devotos Ecclesiae habebitis pro amicis & pro devotis; & inimicos & indevotos Ecclesiae pro indevotis habebitis, nec Emulis seu Inimicis Ecclesiae auxilium dabitur, consilium, vel favorem.

§.15. In Urbe urbisque districtu, seu in circumposita regione, aut in Provinciis, Civitatibus, Terris, seu locis, Romanae Ecclesiae subiectis, non recipietis vel assumetis aut acqueritis dominium, regimen, seu Rectoris officium, quocumque nomine censeatur: nec de occupandis, vel recipiendis, aut capiendis, vel subiugandis eisdem, seu aliis bonis, & iuribus eiusdem Ecclesiae Tu, & quivis tuorum haeredum intromittetis vos publice, vel occulte, scienter: quod si contra feceritis ignoranter, & moniti ab ipsa Ecclesia, non desisteritis, cadetis a iure dicti Regni Sardiniae, & Corsicae ipso facto; & eritis illo privati; & Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur.

§.16. Quod si forte contingeret, Te, vel haeredes tuos in praedicto Regno Sardiniae, & Corsicae Successores, in Regem vel Imperatorem Romanorum, seu Regem Theutoniarum eligi vel assumi, electus vel assumptus nullo modo dictum Regnum Sardiniae, & Corsicae cum dictis Imperio & regimine valeas vel valeant retinere: & si moniti ab ipsa Ecclesia, dicta Imperium & Regna Romanorum seu Theutoniarum non dimiseritis, a Jure dicti Regni Sardiniae, & Corsicae ipso facto cadetis ex toto; ac Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur: nisi forte Tu, vel idem electus aut assumptus Filium habeat successurum sibi in Regno Aragoniae; quem, si voluerit emancipare, legitime poterit, sine fraude renunciando dicto Regno Sardiniae, & Corsicae, nihil unquam juris habiturus in eo publice, vel occulte; & dicta Regna Romanorum seu Theutoniarum ac Imperium retinere. Quod si contra Tu, vel tui in praedicto Regno Sardiniae, & Corsicae haeredes, feceritis, & moniti ab ipsa Ecclesia, non

Obsides Romani liberandi.

Reges contra Rom. Ecclesiam non faciendum.

In Urbe, aut eius Provinciis nulla Praefectura admittenda.

Sardiniae Rex Rom. Imperii spe exclusus.

non desiteritis, a iure dicti Regni Sardinia, & Corsica, ipso facto cadatis, & Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Ad hæc, ut Tibi plus præsidii & favoris accrescat, Te, Regna, & bona tua stabilia, ubilibet constituta, sub Beati Petri & nostra protectione suscepimus; disponentes, Te & ipsa gladio spirituali defendere ac tueri, prout expediens esse videbimus, & tibi fuerit opportunum. Demum in nostra præsentia confiteberis, & recognosces expresse, ex gratia & liberalitate nostra & dictæ Ecclesiæ dictum Regnum Sardinia, & Corsicæ Tibi, tuisque hæredibus fore concessum in Feudum; & sic Te illud recipere, vel recepisse sub conditionibus, conventionibus, sive pactis, modo, tenore ac forma, quæ in præsentibus nostris literis continentur: quos per stipulationem solemnem promittes & iurabis, Te inviolabiliter servaturum; pro quibus etiam servandis dictum Regnum Sardinia, & Corsicæ, iura tibi in eo competentia, & competitura, & bona tua, quæ ibidem consistent, Nobis, & ipsi Ecclesiæ obligabis: & promittes nihilominus, quod Successores tui, hæredes in dicto Regno Sardinia, & Corsicæ, eo tempore, quo facient & præstabit vassallagium, homagium, & fidelitatis iuramentum sub prædictâ, similia confessiones, recognitiones, promissiones, iuramentum, & obligationes facient & præstabit Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & Ecclesiæ supradictæ.

§. 17. Insuper tam Tu, quam quilibet heredum tuorum in dicto Regno Sardinia, & Corsicæ, illis temporibus, quibus feceritis & præstiteritis vassallagium, homagium, & fidelitatis iuramentum pro eodem Regno Sardinia, & Corsicæ, dabis infra mensem post privilegium seu literas, Auræ Bullâ bullatas, in quo vel quibus fatebimini, & recognoscetis expresse, dictum Sardinia, & Corsicæ Regnum, a Nobis, & Romana Ecclesia recepisse in Feudum, sub conditionibus, conventionibus, modo, & forma, atque tenore, quæ in præsentibus nostris literis continentur: quos tenorem, modum, conditiones, conventiones, & formam promittetis vos inviolabiliter servaturos; pro quorum observantiâ obligabit vos, & dictum Sardinia, & Corsicæ Regnum, Jura & bona vobis competentia & competitura in eo.

§. 18. Omnium autem prædictorum, & quæ in præsentibus literis nostris continentur declaratio & interpretatio, quoties opus fuerint, faciendâ, ad Romanum Pontificem, seu ad Romanam Ecclesiam pertinebunt, quotiescumque super ipsis vel eorum aliquo, vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubii oriri contingerit: cujus Romani Pontificis, vel Romanæ Ecclesiæ interpretationi & declarationi stabitur verbo seu literis, prout ipsis Romano Pontifici, vel Ecclesiæ placuerit faciendis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum collationis, concessionis, donationis, investituræ, promulgationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum secundo nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno Tertio.

XI.

Erectio Prioratus S. Antonii Viennen., ubi ejus corpus requiescit, in Abbatiam, & institutio illius Prioris in Abbatem data Regula S. Augustini, & habitu cum signo T. quod potentiam vocant.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Priori & Conventui Monasterii S. Antonii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem. Ordinis S. Augustini Viennen. Diocesis. Salutem & Apostolicam benedictionem.

IN dispositione Ministrorum Ecclesiæ Dei nobis creditæ potissimum consistere nos expediat, tempus, causas, personas, & loca, secundum quæ pro emergentibus negotiis nova sunt consilia capiendâ. Et licet ex multarum inopinabilium diversitate causarum ingiter emergentium continua reddamur attentione solliciti, & profundis circa illa vigiliis excitemur, ne deest Apostolicæ sollicitudinis studium, ubi pastorale tenemur inunctum nobis officium exercere; in eo tamen præcipue studiorum nostrorum sedulitas officiosa versatur, quod ad curam omnium Ecclesiarum & locorum ac religiosorum maxime, quorum (licet immeriti) regimini præsidemus, opportuna solertiam, & solertem diligentiam impendamus, ut gratia cooperante divina, sic eorum statui salubriter consulatur, quod expiatis dissidiis, & perturbacionibus, ab eisdem præserventur innoxii, quietis ubertate latentur, & rectoribus providis, cum tempus provisionis occurrit, eorum regimen committatur.

§. 1. Sane inter dilectos filios Abbatem & Conventum Monasterii Montis majoris ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, Ordinis S. Benedicti Arelaten; Diocesis ex parte una, & dilectum filium Aymonem Abbatem Monasterii S. Antonii ad eandem Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Augustini, Viennen. Diocesis, tunc Magistrum, necnon prædecessores suos Magistros, & Fratres Hospitalis S. Antonii ejusdem Dioc. Viennen. ex altera, tam super Prioratu S. Antonii ejusdem Dioc. tunc ad ipsum Monasterium Montis majoris pertinentis, quam super votis, & promissis ipsi S. Antonio factis, & legatis in testamentis relictis ejusdem, aliisq. diversis articulis suscitata, insignante generis humani inimico jam dudum gravi meteria questionis, ex qua olim strages corporum, animarum pericula, & eorum grandia discrimina pervenerunt, & pervenire poterant in futurum, nisi Sedis Apostolicæ circumspicte providentia, cujus interest singulorum, prout est possibile, præcave-

Proemium.

Controversa inter Abbatem Montis majoris Arelaten. & S. Antonii Viennen. exorta super hoc Prioratu.

Regnum ipsum in cautionem dandum.

Dandaque a Rege Bulla &c.

In dubiis declarationi Rom. Pontificis standum.

re periculis, super his opportunum remedium adhiberet.

§. 2. Nos, qui Regis pacifici existentes Ministri, ut commissum nobis ministerium digne implere possimus, quietem & pacem inter universos sollicitudini nostræ commissos, intentæ sollicitudinis studio, votisq. ferventibus procuramus, præacta discrimina sedula meditatione pensantes, & attendentes, quod nondum hujusmodi potuerat discriminibus obviari, licet per aliquos diversæ compositiones, sive ordinationes, diversis temporibus pro danda pace partibus hinc inde factæ fuissent, diligentia excitati paternâ, quæ consiliis providis filios libenter fovet & dirigit, illo cogitato remedio in hac parte, per quod superni favoris dextera sustentante, finis prædictæ imponeretur discordiæ, ac via deinceps præactis discriminibus tolleretur, de fratrum nostrorum consilio, & assensu prædictum Prioratum cum omnibus Ecclesiis, membris, juribus & pertinentiis suis existentibus ubicumque ab omni spirituali, & temporali potestate, jurisdictione, dominio, subjectione, jure, obedientia & dispositione quacumque prædicti Monasterii Montis majoris, nec non Abbatis, & Conventus, & personarum ejusdem, de Apostolicæ Sedis plenitudine potestatis omnino duximus eximendum, ipsumque ab eis decernimus esse liberum penitus & exemptum; Priorum, Monachos, & Conversos, & alios quoscumque si qui existant in ipso Prioratu per Abbatem & Conventum eisdem, vel eorum mandato seu auctoritate per alios forsitan deputatos ab eo totaliter amovendum, eisque Priori, Monachis, & Conversis præcipiendum, ut ad dictum Monasterium redire curarent, inibi Domino servituri.

§. 3. Et quia Prioratum eundem propter ipsius B. Antonii reverentiam, cujus gloriosa merita per Universas Ecclesias in hujus Orbis latitudine constitutas manifestius innotescunt, cuiusq. corpus, sicut famâ celebris missi ad poteros, & innumera, quæ per eundem Sanctum ibidem Dominus miracula jugiter operatur, patenter ostendunt, in prioratu ipso quiescit, condignis esseri honoribus, non tam dignum, quam debitum existimantes, Prioratum ipsum in Abbatiam ereximus, de prædictorum fratrum consilio, & ejusdem plenitudine potestatis, certo Canonico seu fratrum inibi numero constituto.

§. 4. Ac ut dissensionis, & amulationis cujuslibet occasio inde præcideretur omnino, prædictum Hospitale cum omnibus membris suis, in quibuscumque Mundi partibus constitutis, eorumque pertinentiis & juribus, ipsi subiecimus, & univimus Abbatia.

§. 5. Auctoritate Apostolica statuentes, ut locus ipse qui Prioratus in antea dicebatur, foret, & appellaretur de cetero Abbatia, & ii qui præsentem eidem, nomen semper & dignitatem obtinerent Abbatis, & Abbatiam ipsam, ac dictum Hospitale sibi unitum simul perpetuis futuris temporibus, constitutione vel consuetudine quavis non obstante contraria gubernarent, nec Magistri, vel Domini de cetero, sed Abbates Monasterii S. Antonii tantummodo appellarentur.

§. 6. Quibus universi fratres Hospitalis & membrorum eorumdem, quos Canonicos seu fratres Monasterii S. Antonii volumus, de cetero nuncupari, parerent humiliter in omnibus & intenderent.

§. 7. Quodque in eodem Monasterio S. Antonii, & Hospitali, ac membris eisdem, B. Augustini regula servaretur, & secundum eandem dicti Abbas & Canonici seu fratres perpetuo vivere tenerentur.

§. 8. Habitum vero cum signo T. quod potentiam vocant, in honorem ipsius B. Antonii tam Abbas, quam Canonici seu fratres præfati, juxta morem solitum ipsius Hospitalis semper & ubique portarent.

§. 9. Ipsum quoque Monasterium cum Hospitali prædicto, & omnibus membris, ac bonis suis existentibus ubicumque, & Abbatem, Canonicos, seu fratres ejusdem nunc præsentis atque futuros, ab omni jurisdictione, ac dominio Archiepiscopi, Episcopi, & Ordinarii cujuscumque omnino duximus eximenda. Decernentes ea omnia immediate soli dumtaxat Romano Pontifici subiacere.

§. 10. Et quia erat æquitati & rationi conveniens, ut prædictum Monasterium Montis majoris Nobis, & Ecclesiæ Romanæ immediate subiectum, & Abbatem & Conventum ejusdem sic benigno respiceremus affectu, quod exemptio, amotio & alia, quæ in favorem Monasterii S. Antonii & Hospitalis prædictorum, & propter bonum pacis, & concordia per Nos ordinata erant, in ipsorum Monasterii, Abbatis, & Conventus Montis majoris non cederent omnino dispendium & jacturam, in recompensationem eorum, quæ præmissorum occasione subtracta noscebantur eidem, certam quantitatem bonorum stabiliam in locis idoneis infra certas Provincias, eisdem Monasterio, Abbati, & Conventui Montis majoris, per Abbatem S. Antonii certo modo præcipimus assignari, prout hæc & alia in aliis nostris literis inde confectis plenius continentur.

§. 11. Cum igitur prædicto Monasterio S. Antonii quod per hujusmodi ordinationem nostram, præfectione Abbatis noscitur indigere, sit de Abbate idoneo providendum, Nos de ipsius statu prospero, more patris solliciti propensius cogitantes, & considerantes attentius, quod vix ulli committi posset melius ejus cura, quam prædicto Aymoni, qui loci & personarum conditiones, & statum oculata fide palpavit, & cui, sicut fide dignorum testimonio accepimus, religionis observantia, moram honestas, circumspectionis industria, & alia dona virtutum multipliciter suffragantur, præfatum Aymonem olim Hospitalis prædicti Magistrum, a vinculo quo ipsi Hospitali tenebatur, hæcenus absolutum, eidem Monasterio S. Antonii de Fratrum prædictorum consilio, in Abbatem præfecimus & pastorem, sibi curam, administrationem, & regimen ipsius Monasterii S. Antonii in spiritualibus & temporalibus committentes.

§. 12. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, & per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eundem Abbatem benignè recipientes, & honeste

Cui obediunt Monachi.

Eis Regulam dat. S. Augustini.

Habitum eisdem signo T. præscribit.

Monasterium, Abbatem & soli subicit Rom. Pontifici.

Monasterio Montis majoris de nonnullis componatur bonis.

Novæ Abbatie dat Abbatem.

De obedientia ei præfanda.

Pontifex eisdem Prioratum soli Apostolicæ Sedis subiectum declarat.

Et in Abbatiam erigit.

Eique unit Hospitale.

Ad hæc lege ut Prior Abbas deinceps nuncupetur.

